Miscellanea

Fris Augustini Vrbanovij Augustiniani

SACRA

ILLVSTRISSIMÆ ac INCLYTISSIMÆ

DONHOFFIANÆ DOMVS,

RELIGIONI, FORTITVDINI, VICTORIÆ, GLORIÆ.

EX APRO GENTILITIO

VICTIMA,

IN

Jllustrissimo, & Excellentissimo Domino

D. VLADISLAO DONHOFF,

PALATINO POMERANIÆ,

Post Vienenses Victorias in Austria, ad Cannas Strigonienses in Pannonia

Contra Tyrannos Orientis

Heroa Fortitudine, vsq; ad supremum Sanguinis, Vitæq; Libamen Pugnante;

Dum illi Anno 1684. Die 6. Martij,

In Clari Montis Częstochouiensis Basilica, Fratrum Ordinis S. PAVLI Primi Eremitæ,

Funebris Honor persolueretur,

Ibidemq; in Augusto Donhoffianæ Domus Sacello illius corporis Exuuiæ condirentur,

EXHIBITA.

Superiorum Permissu,

Per Fratrem AMBROSIVM NIESZPORKOWITZ Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ Professum.

CRACOVIÆ,

Ex Officina FRANCISCI CEZARY, S. R. M. Illustriss. ac Rndiss. Dni. Episcopi Crac. Ducis Seueriæ, Necnon S hol. Nouoduorsc. Typogr.

STEMMA;
ILLUSTRISSIMÆ
DONHOFFIÆ DOMUS.



Aucto mox Imperio, propagatisque finibus, quinque signa ex ærario depromi, & militum acies, ac legiones præire assuêrant. Hæc fuerunt: Aquilæ, Lupi, Minotauri, Equi, & APRI simulacra, quibus præeuntibus legiones educere, & ferro decernere mos erat: inter quæ APRI effigiem qui tum tenuisse locum accepimus. *Alexander ab Alexandro Genialium Dierum Lib. 4. cap. 2.*

Illustrissimo, ac Excellentissimo Domino

D. SIGISMVNDO VICTORI DONHOFF,

Succamerario Vielunensi,

DOMINO, ac PATRONO COLENDISSIMO.

Vitam & Felicitatem.

SUas natales cunas repetunt, dum ad Te perferuntur *Illustrissimæ Donhoffiæ Domûs* Decora, Illustrissime, ac Excellentissime Domine. *Locum illis apud Tuam beneuolentiam, amorem, & manum amicam, eo jure debitam dare teneris, quo Illustrissimæ Donhoffiæ stirpi debes Sanguinem, & Originem, ad cuius exactam amussim vitæ cursum Honoribus, & altioribus Functionibus publicis pro bono Patriæ ornatissimum, componis, vt Te ad Illustrissimæ prosapiæ claritudinem, non tantùm conseruandam, verùm cumulatiùs augendam, Principum satum sanguine demonstres. Vidisti in Maioribus Tuis auctam per Virtutum incrementa, quæ veluti Serenissima parelia, replicatis solibus, ampliorum in vtraq; Republica dignitatum subsellia illustrârunt, vt illud ad maximæ laudis plenitudinem accedat, Donhoffiam Domum externorum ad omnem Virtutis institutionem exemplis non egere, quæ copiosis Domi documentis abundat, quibus ad imitationem viam præmonstrat. Veneramur hæc in Illustrissimo, & Excellentissimo Domino VLADISLAO Donhoff Palatino Pomeraniæ, qui Religionem Domi, Forisq; Fortitudinem & Victoriam in acie, Gloriam vbiq; promouebat, quæ tanquam Illustrissimæ Domûs*

 Don-

Donhoffiæ Lumina, & columina, calamo leui, non admodùm facilè voto seruienti, describuntur. Huius ergo Parentalibus obsequijs, & hoc opusculum adieci, Religionem, Fortitudinem, Victoriam, & Gloriam Illustrissimi piæ memoriæ Herois VLADISLAI DONHOFF Palatini Pomeraniæ, totiusq; Illustrissimæ Domùs Tuæ veneratus, perenne obseruantiæ meæ erga Illustrissimam Domum Tuam monumentum. Dent superi fortunatam longæuitatem, & sospitatem Illustrissimæ Dominationi Tuæ, vt hic superficie tenus collectam in compendia Maiorum Gloriam impleas, ad quam, maturioris æui profectus, in annis nondùm adultis antecedens, festinas. Suscipe, quod Illustrissimus Genius Tuum esse jussit, qui cum Illustrissimæ Domûs Tuæ in cursu Honorum & Gloriæ Vota anteuertis, Virtutum & dignitatum exemplis desideria impleas. Quod suppliciter exopto.

Illustrissimæ, & Excellentissimæ

Dominationi Tuæ,

Honoris Studiosissimus
Exorator,

Frater AMBROSIVS NIESZPORKOWITZ
Ord. S. Pauli Primi Eremitæ Professus.

A R A.

Adeste, quos ad Catholicæ Religionis gloriam
initiauit gratia!
Hanc Pacis Aram in hostico erectam veneremini;
Inclytissimæ & Illustrissimæ
Donhoffiæ Domûs est Ara,
Quæ cùm Pontificibus, & Regibus Cunas dedit,
Flamines, & Infulas Sacerdotij Regalis habet.
Vbiq; Religionem colit,
Vbiq; & Aram habet.
Sacerdotes habet, & Victimam,
Illustrissimum ac Excellentissimum Dominum
VLADISLAVM DONHOFF
Palatinum Pomeraniæ,
Qui
Austriacæ, & Pannonicæ Comes Victoriæ,
Exercituum Domino,
Ecclesiæ, Fidei, Religioni, Patriæ, Domui, Victima factus
Adhuc calentibus in hac Ara cineribus ardentem
Zelum fouet,
Qui in successuris Nepotibus erumpet in incendia
Quibus Ecclesia, Religio, Patria illustrabitur.
Æternæ Tyrannus administer gloriæ;
Laureatum Victoriâ Caput abstulit;
Ne tamen acephalam dicas victimam,
Gentilis Apri Caput substitutum,
Religioni Sacrum hoc probat,
Vnam hanc Domûs Donhoffianæ Sacram Victimam
Replicatas Hecatombes excedere.
Proprio lustratur in cruore,
Ne regnum superum peteret absq; purpura,
Qui se Regiæ stirpis non degenerem ostendit propaginem
Heroa Virtute necessitatem anteuertens,
Hoc ante consecrauit, merito, quod aliquando natura extorquere debuit,
Animum cœlo, terræ corporis exuuias.
Hanc Aram Donhoffianus erexit Genius, & ingenium,
Quod per temporalia fortunarum vitæque dispendia,
Gloriam æternitatis mercatur.
Norunt superi, nouerint & posteri,
Quòd pretiosiorem DEO, Ecclesiæ, Religioni, Patriæ,

Domuique suæ Donhoffij hac in Ara dare
Non possint Victimam quàm seipsos.

CONgenitam Illustrissimæ Donhoffiæ Domûs Religioni Fortitudinem, cùm pridem in Aborigenibus inuictissimis, tum his ætatibus in generosissimis Nepotibus, Regna & Prouinciæ venerabantur. Etiam hodie illius magnalia loquuntur vindices temporum Historiæ, quæ meritam heroicis actibus famam in æternitatem prorogant. Scilicet & agere, & pati fortia, non tantum Romanorum est; Id ipsum à majoribus accipere laudis patrimonium Donhoffij, & agere & pati fortia; dum Ecclesiæ, Fidei, Patriæque aut propugnandæ, aut exornandæ necessitas; aut justitiæ vindicandæ Zelus, exigebat. Initiauit Honorem Fortitudinis, secuturis ad imitationem ætatibus dans exemplum inuictissimi animi *Stirpis Donhoffianæ Princeps*, qui inuicti roboris virtutè non tantùm laureas ex Hispanorum exercituum cladibus, sed Regna, Regumq; Coronas promeruit. Sago togaq; clarus OTTO Donhoffius Palatinus Derpatensis, cùm juuentutem, virilemq; ætatem præclaris in Martis acie contra Fidei, Patriæq; hostes, facinoribus decorasset, eadem inuicta animi fortitudine, quâ belli tractabat negotia, pacis ac vnionis moderabatur momenta, ad Liuoniæ cum Polonia vnionem, quam sua subscripsit manu, adlaborando. Fraternam Fortitudinis imitatur indolem Illustrissimus, quâ generis claritudine, quâ fortiter bello, paceque gestorum gloriâ THEODORVS Donhoff Palatinus Vendensis: qui non tantùm licentiâ belli superbam, rebellium Poloniæ Crucigerorum potentiam, ingenti fortitudine partis, frequentioribus victorijs domuit, ac infrenauit, verùm penitus, in Liuoniæ visceribus, non tam liberè, quam licentiosè grassantem, eliminauit.. Probauit Donhoffiæ Fortitudinis gloriam & HENRICVS Donhoff Capitaneus Dinemburgẽsis, dum rem bellicam contra Suecorum exercitum sub Gruneualdo fortiter agit Heros magnanimus, pluribus inflictis illorum exercitui cladibus, Patriam fortitudinem generoso subscribens sanguine, victor laureatus occubuit. Leteis indigna vorticibus, obliuionis cladem apud posteros non tolerat, Tua infracti animi Fortitudo Regnorum Arbiter, Pacatorq; ERNESTE Donhoff Palatine Parnauiensis, studijs Belli; Pacisq; Vir inclytissime, qui post tractata apud diuersos Principes, feliciterq; absoluta Legationum momenta; post peracta cum Carolo Sudermano Suecicæ Rege ne-

Okolski Orbis Poloni Tomo I.

gotia;

gotia; post composita, abolitaq; Sueciæ, Poloniæq; Regnorum odia, eadem fortitudine quâ antehac Suecorum sæpius arma triumphasti, Tribunus militum, contra Ottomanicam potentiam acriter bellando, illustres reportasti victorias. Viuit in Filijs Tuis idem animi inuictus vigor, quos quemadmodum Sanguinis, ita & Fortitudinis Heredes, relicto amplissimo Virtutum, ac Meritorum patrimonio, reliquisti, FRIDERICO Donhoff Subdapifero Magni Ducatus Lithuaniæ, quem rara admodum generositas, Generalem Exercitibus Ducis Prussiæ præfecit; Perennat in magnanimo Sanguinis, Virtutis & Nominis Herede, Illustrissimo Filio ERNESTO Donhoff, qui arduis heroicorum meritorum auctibus, & virtutum bellicarum suffragijs promotus, Castellanus Vilnensis, ac Generalis Germanici Exercitûs in Polonia, factus, bellicæ fortitudinis, honorem propagat, vt in bellicorum consiliorum arcanis studijs Heros peritissimus, ita in Fidei, ac Religionis tenendæ, tuendæq; integritate zelosissimus. Nec segniùs ad hanc ex rebus fortiter gestis augendam adlaborauit gloriam HERMANNVS Donhoft, cui magnanimitas congenita, à prima ætate cum iuuenilibus annis, Marti, sagoque consecratis, fortitudinem roborabat. Nondum plenos adolescentiæ emensus annos, Turmarum Ductor, veteranorum, in bellicæ virtutis exercitio, exemplum factus, ab Imperatore suo, Magno illo Hectore Poloniæ Zołkieuio, Martiæ virtutis testimonium, & elogiũ obtinuit; *Vir Fortis, Pignus Martis*, Reipublicæ integritati in Cecorensi clade sanguinem litauit. Hinc Illustrissimam DONHOFFIAM Domum, quendam Equum Troianum, bellicæ virtutis, & Mauortiæ Fortitudinis imaginem dicere liceat, ex quo tot Heroes, quot successores, non ad funesta Regnorum excidia, sed ad Ecclesiæ, Patriæq; salutem, ac defensionem procedunt. Dulcis est Tui gloriosa recordatio Illustrissime GASPAR Palatine Siradiensis, qui ob res bello, paceq; præclarè gestas, Serenissimis Poloniæ Regibus SIGISMVNDO, & VLADISLAO maximè charus, eò processisti in Regum ac populorum amoribus, Regum Ephestio, quò alios nec ardua vota, nec aucupatæ gratiæ studia, obsequia, conatusq; poterant promouere. Ad deducendam Reginam Regno Serenissimam CÆCILIAM Renatam, Serenissimo Poloniarum Regi VLADISLAO, cum Illustrissimo, ac Reuerendissimo Ioanne Lipski tunc Episcopo Culmensi, post Archiepiscopo Gnesnensi Ablegatus, summa cum laude, prudentiaq; hoc munere defunctus,

Piasecius sub Anno 1620. Okolski Tomo 1.

ctus,

ctus, à FERDINANDO III. Romanorum Imperatore, pro se, successoribusq; suis à se descendentibus, Sacri Romani Imperij Principatûs titulum consecutus; ad Reginalis Aulæ Præfecturam admotus, tot Regalium, ac Imperialium amorum, fauorumq; auctibus honoratus, quam ex Aborigenibus bellicæ Fortitudinis gloriam, cum Illustrissimi Sanguinis propagatione, non otiosus virtutis promouendæ heres, per Illustrissima, ac felicissima cum ALEXANDRA Koniecpolska, Magnorum in vtraq; Republica illorum Virorum, STANISLAI Supremi Exercituum Regni Dictatoris; CHRISTOPHORI Palatini Belzensis; REMIGII Episcopi Culmensis; IOANNIS Palatini Siradiensis, germana Sorore, transfudisti, in Filios, STANISLAVM, SIGISMVNDVM, & ALEXANDRVM, ipsis augusti Nominibus Gloriam, Victoriam, ac Fortitudinem sonantia; vtriusq; Reipublicæ, Patriæ, & Ecclesiæ ornamenta, ac portenta Heroæ Fortitudinis quæ in arduis Patriæ, Ecclesiæq; negotijs, agendo patiendoq; fortia, emeritæ virtutis gloriam, laudemq; consecuti perennant: Illustrissimus STANISLAVS Donhoff Vielunensis, & Radomscensis Capitaneus, admirandæ Vir magnanimitatis, viribus fortunisq; non parcendo, sub Serenissimo VLADISLAO IV. Felicissimo Poloniæ Rege, ad Sueticum, & Moschouiticum bellum, cohortes militum proprio auctorauit ære, non minùs Fortis in adeundis belli periculis, quàm in erogandis ad patriæ Ecclesiæque subsidia, militaribus stipendijs Liberalis, quid generosus illius erga Patriam posset animus, luculentioribus quâ Liberalitatis, quâ Fortitudinis exemplis docuisset, nisi in Varsauiensium Generalium Comitiorum æstu, dum Nuntij terrestris Vielunensis fungeretur officio, præmatura mors, pulchrè per virtutum ac meritorum auctus continuatum vitæ cursum præcidisset. Viuit tamen in Illustrissimo, nec à tam illustri sanguine degenere, SIGISMVNDO VICTORE Donhoff Succamerario Vielunensi, quem ex Illustrissima Magnarum Virtutum Heroina ANNA Ducissa Radiuilia, Illustrissimi ALEXANDRI Ducis Radiuilij Mareschalci Magni Ducatûs Lithuaniæ Filia, Illustrissimi MICHAELIS Ducis Radiuilij, Vicecancellarij M. D. L. ornatissimâ, ac sumptuosissimâ, Viennam ad Romanorum Imperatorem, LEOPOLDVM I. Romamque, ad S. D. N. INNOCENTIVM XI. nuper Legatione, demum & vitâ Bononiæ defuncti, germana Sorore progenuit; ad omnia summa natum vidit Polonus orbis, dum ter exteras

natio-

nationes visitantem admirabatur, vt quidquid ad Virtutis eruditionem, animiq; culturam excellens, & eximium sub peregrino sole nascitur, ad absolutissima suæ indolis, ac Illustrissimæ Donhoffiæ Domûs ornamenta trahat; videt magis olim profuturam Patriæ, stirpiq; Illustrissimæ, nunc maturam in juuentute prudentiam, quam Nuntij terrestris Vielunensis officio ter defunctus probauit, adeo præclarè terræ Vielunensis momenta pertractando, vt liquidò constaret generosissimam, ac ornatissimam Virtutibus indolem magnis passibus ætatem anteuertere.

Bellacem Fortitudinem, ad Illustrissimæ Donhoffiæ Domûs ornamenta, ac emolumenta Patriæ, quis non venerabundus admirabatur in Illustrissimo SIGISMVNDO Donhoff Bydgostensi, Sokalensi, Bolesłauienensi, Bohusłauiensi, Laiscensi Capitaneo, Sacræ Reginalis Maiestatis Dapum incisore? duram, seueramque sibi necessitatem imposuit sub Serenissimo Poloniæ Rege IOANNE CASIMIRO, nullam pro integritate Patriæ bellandi occasionem intermittere; hinc ad amolienda impendentia Reipublicæ pericula ingentes curæ, decumanorum periculorum contemptus, neglectus otij, ad fouendam Cataphractorum, seu Vsariorum vnam, alteram Germanorum Cohortem, seu vexillum, erogati sumptus, in acie exantlati labores, sub aperto Ioue tolerati æstus, & frigora, sollicitudo irrequies, abundè probauere nihil superfuisse aut à quoquam excogitari potuisse, quod à Ciue sui amantissimo Patria sperare, aut expectare, deberet, cuius indemnitati securitatiq; Serenissimo Rege, totaq; Republica, sub Zorawno periclitante, vt suæ fortunæ dispendijs, vitæq; in summa pericula prostitutæ contemptu, prouideret, pro Obside spontaneus exul, ad Hanum Tartarorum iuit in Chersonesum Tauricam, vbi toleratâ honorificæ captiuitatis ærumnâ triennio, non tam ex Reipublicæ ærario, quàm de suo lytrum numerauit. Stupebat in eo formidabatque inuictam animi fortitudinem sequioris fortunæ tolerantissimam, barbaries, & quam aliquando sibi nocituram, perniciosamque, fœdifragâ conscientia justum opinandi suggerente consilium, credidit, ad labefactandam cum vita (vt non imprudens prodidit suspitionis præsumptio) lento, seroq; toxico ad mortem subseruiuit, quam cùm immortalitate (si conditio mortalitatis pateretur) donandus, in Arce sua Viazdouiensi Anno Ætatis suæ trigesimo oppetijt, funestâsse præmaturo fato Illustrissimam Domum dici potuit, nisi ejusdem erga Ecclesiam, Patriam, Domumq; Amo-

ris,ac Virtutum Heroicarum,Quatuor Filios Heredes reliquisset, ex Illustrissima TERESSIA ANNA Comitissa in Tęczyn Ossolonia, Magni illius, ac suauissimi Sarmatiæ Demosthenis,& Tulij, GEORGII Comitis in Tęczyn Ossolinij, Regni Cancellarij Filia, CAROLVM GASPARVM, GEORGIVM ALBRACHTVM, STANISLAVM CASIMIRVM, & FRANCISCVM BOHVSLAVM.

Tanto se Parente natum, eximijs bellandi studijs,demonstrauit Illustrissimus CAROLVS Donhoff Venator Siradiensis. Paternæ Fortitudinis insistens vestigijs, Iuuentutem inter arma, belli artibus innutriuit in Castris Romanorum Imperatoris. Vidit alienum solum in diuersa acie militiæ illius Tyrocinia, sub famosissimis Imperatorij Exercitûs Ducibus, ZVZA, & MONTECVCVLI, ex quibus cum Magisteria fortitudinis accepisset, Martiam virtutem, expectatione, ætateq; majorem honorauit. Arduum belli rudimentum, ac Fortitvdinis experimentum, objecit illi ferro detonans, imminensq; Imperio, Ottomanicæ potentiæ tempestas, quæ non tantùm in castris juuenile corpus grauibus sub armis, laboribus durabat, verùm animi imperterritam constantiam, ad audenda pro DEO, & Patria facinora quæcunq; roborabat. Honorauit illam Serenissimus Poloniæ Rex IOANNES CASIMIRVS, cùm reducem Germanicæ cohorti in Exercitu Patrio præfecit.

Nectuntur pulchro, quemadmodum Sanguis, ità virtutum vinculo, & in Illustrissimo GERARDO Donhoff Palatino Pomeraniæ bellicæ gloriæ,& fortitudinis Donhoffianæ monumenta, quæ tanquam amplissima, gloriæ æternùm victuræ, possessio, ad Filium non obliquo tramite transferuntur. Te hîc reuerenter memoro, Illustrissime, & Excellentissime VLADISLAE Donhoff Palatine Pomeraniæ, vt Patrij Sanguinis ac Fortitudinis Heres, ità ad sublimioris dignitatis subsellium ex Virtute successor. Probasti Patriæ, Illustrissimæq; Tuæ Familiæ, nulla fortunæ vice dejectam fortitudinem, ac intractabile constantis animi robur, cùm à scientiarum disciplinis, in exteris nationibus summa cum laude pertractatis, ad Arma, bellique studia, Mauortiæ gloriæ destinatum animum transferens, ea in castris variarum Dux, & Imperator cohortium, pluribus annis gessisti, quæ fortitudinem in periculis, prudentiam in gerendis,consilium in ambiguis, magnanimitatem in arduis, demum (vt absq; verborum ambagibus verita-

tem

tem eloquar) Te ipſum expetebant, quem ad ſummam Fortitudinis bellicæ gloriam ille in Tua Tuæq; Domûs ornamenta cõſpirans virtutũ chorꝰ amauit, quem Sereniſsimi Poloniæ Regis IOANNIS CASIMIRI in ſum̃is Regni, ſolijq; nutantis diſcriminibus ſatellitem requiebat. Quid pulchrius, quid honorificentius, quàm throno, lateriq; Regio proximum non oſtentationis, aut aſſentationis gratiâ, ſed neceſsitate defenſionis, ac ſecuritatis, cuſtodem aſsiſtere? Quæ in Regno potiora habuit Sereniſsimus Rex, vitam tot periculis circumſeptam, Tuæ credidit fidelitati, quam cùm domi, tum in omnibus bellicis expeditionibus expertam habuit, atq; ne inpræmiatam relinqueret, Te Succamerarium Pomeraniæ creauit. Minor longè laboribus, curiſque ingentibus viſus fuit vt amplitudine meritorum, Sereniſsimo ac Inuictiſsimo Poloniæ Regi IOANNI III. Orientis feliciſsimo Victori præſtitus Honor, quem vt juſtus meritorum æſtimator, ac arbiter intenderet, Caſtellanum Culmenſem, paulo poſt Palatinum Pomeraniæ, ac Theſaurarium Pruſsiæ præfecit, vt tam auguſtis honorum acceſsionibus merita compenſaret. Sed nihil iam intra mortalitatis conditionem reliquum eſt, quod Fortitudinem victrici ſanguine conſecratam digniùs valeret rependere, quàm vt Donhoffiano ſanguini congenitam demonſtraret, ad ſupremum vitæ momentum aſſeruit. Dixerit ſanè Demoſthenes Fortitudinem Græciæ animam fuiſſe, quòd in Heroibus non prius animo, quàm corpore ſpiritûs excelleret : veriùs abſque aſsentationis nota fatebitur poſteritas, Illuſtriſsimæ DONHOFFIÆ Domûs Animam eſse Fortitudinem, nullâ hoſtium, aut fortunæ labefactatam acie. Fingat, aut pingat mendax vetuſtas quæcunq; Fortitudinis portenta, ſuoque expergefacta puluere per omnium ætatum ſcenas oculum circumferat, fabulas in veritatem tranſijſſe in Illuſtriſsima Donhoffia Domo fatebitur, dum quot Viros, tot Heroes, tot Fortitudinis portenta recenſebit. Faſtuoſus aliquando Athenienſis ignauam carpebat Lacedæmonum indolem imaginis obiectu, quæ Lacedæmonas ab Athenienſibus cæſos, ac profligatos referebat, dicens: *Quàm fortes ſunt Athenienſes*! cui Lacedæmon argutè reposuit: *In Tabula*: Hoc probrum venit in alios quòd Fortitudinem ſuam mendacis famæ præconio, verborum pigmentis, aut heroicorum facinorum figmentis, laudem aucupando, intendere moliuntur, quibus reſponderi poteſt, fortes eſſe, ſed in ore, in verborum pigmentis, aut figmentis. Nemo pictam fictamque Donhoffiæ Fortitudinis glo-

riam dicet, qui Tuo Heros Victoriosissime VLADISLAE Donhoff Palatine Pomeraniæ, sanguine omni pretiosiore purpura, Regum æquiparando trabeis, madentes ad Strigonium, adhuc calentes Fidei Zelo, campos spectauerit, in quibus consecrata Fortitudini Victima, melior Antæus ad æternitatis gloriam surrecturus cecidisti. Auro, adamanteq; pretiosioria Tuæ Fortitudinis instrumenta videat, legatque posteritas.

ARMAMENTARIVM.

In Victricibus Austriæ, Pannoniæque campis,
Ad Armilustrium oculos euocauit orbis Europæi,
Exercitûs Poloni splendor.
Hîc & Illustrissima Donhoffia Domus sua aperuit Armamentaria,
Ex quibus
Thraciæ offensiua, Christianitati defensiua
Mars Christianus promit Arma
Primum ex Armamentario minax signum erigit pro labaro,
Gentilis Apri Caput,
Sub cuius auspiciis, cum res bellica prosperè geritur,
Vnum Caput, Aquilis, Lupis, Minotauris, & Equis Romanorum præferendum.
In quo & Aquilarum pugnacitas, Luporum solertia, Minotaurorum fortitudo, Equorum generositas eminet.
Et Persarum Aquilas, Solesque, Atheniensium Noctuas, Thebanorum Sphynges, Cymbrorum æneos Tauros, Cyri Gallos, Osiridis Canes, Ægyptiorumquè animalia, ac monstra cohortibus præferri solita axæquat, & superat;
Apertis id probat Fortitudinis argumentis sub his militans Armis
Illustrissima Domus Donhoffia.
In compendium illa coëgit Illustrissimus Heros
VLADISLAVS DONHOFF
Palatinus Pomeraniæ
Qui Loricæ, & galeæ; Clypeo, & gladio
Belli causam anteponens,
Hac, vt Armis vsus, pugnauit.
Sub ejus Gentili signo
Illustrissimarum Familiarum fœderantur per fœdera matrimonialia, Arma
Quæ gloriæ militant, & victoriæ,
Illustrissimorum Ducum Radiuiliorum Tubæ, & Aquilæ,
Czartoryściorum Equites Cataphracti;

Quo-

Quorum hi propugnant; illi famæ transmittunt
Æternùm victurum Stirpis Donhoffiæ Honorem.
Elucent Patrijs ſplendoribus, Cenſoriæ, Senatoriæque dignitatis
Romanæ inſignia
Illuſtriſſimæ Oſſoliniæ, ac Opaleniæ, ASCIÆ
Quæ nullam rubiginē paſſæ cum hoſtilia molimina deſtruunt, extruūt famæ gloriæquē victuræ monumenta.
Koniecpolſciæ ſplendent SOLEÆ
Feruntur Leſcziniorum, ac Opaleniorum plenæ Heroicarum Virtutum inſignibus ONERARIÆ,
Affulgent, Illuſtriſsimæ Daniłouiciæ cum Luna
Stellarumq́ue ornamentis; Dźiałynſciæ,
& Kalinowſciæ SAGITTÆ,
Eminus fama, cominus fortitudine hoſtibus infenſæ;
Ornant Illuſtriſſimæ Domûs Oleſniciæ ROSÆ
Defendunt cum Heroe ſuo Grzymułtouiæ TVRRES,
Tot ſtipatus Illuſtriſsimarum Familiarum Armis
Illuſtriſsimus VLADISLAVS DONHOFF
Palatinus Pomeraniæ,
Cum tot Familiarum inſignibus,
Heroicarum Virtutum Legionem fulminatricem contra Ottomannos educens,
Sumptibus proprijs auctoratam Vſariorum cohortem addit,
Cuius ipſe Caput, & Cor; Arma, & Anima;
Sui Capitis diſpendio, corpus exercitûs defendit.
Nec ità quidem illud amiſit, quod præmiſit cœlo coronandum.
In vno Capite multum de Armis, & Animis
demptum crederem, niſi ſcirem, illum
Fortitudinis exemplo, non tantùm ad Donhoffianæ
Domus progeniem, at in omnes Chriſtianos exercitus, magnanimitatis
Cor & Spiritum transfudiſſe.

REctè per Armamentaria patet aditus ad auguſtum Coronatæ Victoriæ Templum, quod in Illuſtriſsima Domo DONHOFFIA magnis laborum, ac meritorum impendijs Virtutes Heroicæ fundauerunt. Impleuerunt illud tum Aborigenes, tum Nepotes Illuſtriſsimi detractis aduerſo Marti, Fortunæq; manubijs, quæ vt quondam trophæa Miltiadis, tot habent auidos, ac æmulos bellicæ laudis Themiſtocles, quot per ſanguinis inclytiſsimi ſtirpem, Martiæ fortitudinis exemplis ad imitanda pulchra æmulatione facinora animantur. Fortitudo, indubitatæ Mater Victoriæ, dum prudentiâ, & magnanimitatis exem-

plis subnititur, ad belli exoptatos fructus promouet. Hinc Historia famæ perennis altrix, decumanas prodit, non magnis admodum impendijs partas Heroinarum, ac Heroum Victorias, quibus tum aliorum exempla, ad incitamenta, tum immensa cupido laudis præiuit. Confudit ignauiam virorum muliebre Tomiridis ingenium, quæ ducenta Persarum millia vna acie tanta cæde trucidauit, vt ne quidem luctuosæ cladis reliquerit nuntium superstitem. Locrensium quindecim millia, centum viginti Crotoniatarum millia fuderunt. Duce Milciade ad Marathonem Atheniensium decem millia, immensas centum, & decem millium Persarum strauerūt acies. Spartanorum decem millia Duce Leonida iterum effusos innumerabiles Persarum exercitus deleuerunt. Præiuerunt victoriæ prodromi, Spartanorum sexcenti, castra quingentorum millium inuadendo, & vsq; ad satietatē sæuiendo, adeo, vt qui terrestres, naualesq; copias vltra decies centena peditum, equitum verò octoginta millia armatorum in expeditione ad orbis terrorem duxerat, cuiq; sexcenta millia frumenti modia diurno cibo, & tot flumina exhausta potui non suffecerint, is tanta clade cæsus, & profligatus inermi naue, per funestas corporum, armorumque strages vix euasit. Quid memorentur ingentes Græcorum, ac Romanorum Victoriæ? Hic sæpe dubiam in illum fortuna deflectit victoriam, qui minori præsumptione se futurum victorem pollicetur. Ità non omnes quos fortissimos excipit, Victores dimittit acies. Verùm excesserunt antecedentium seculorum Victorias inauditæ ad Vienenses, & Strigonienses Cannas, contra effusas orientalium tyrannorum myriadas, Polono Marte consummatæ Victoriæ, cùm Stellæ in firmamento Sarmaticæ Virtutis ordinatæ, Illustrissimæ dico Familiæ contra Ottomannum Sisaram pugnauerunt. Eminet natiuis suis splendoribus Donhoffianæ Domûs illustrissimum insigne, à Romanis olim ad ingentia bella præferri solitum, publicæ saluti, & Christianitatis defensioni consecratum, APRI Gentile Caput. Leuauit contra illam superbiâ tumentem, regnorumque rapinis, & cladibus elatam Ottomannam Iericho CLYPEVM suum Serenissimus ac Felicissimus Rex IOANNES, Christianus IOSVE; cum illa in conspectu tantæ majestatis subsistere non tolerans, mole tot victoriarum, ac spoliorum prægrauante ruens, Victricem Polonam virtutem adorauit. Aureas Persarum Aquilas, Dracones, variaq; ad auspicia belli eleuata, prælataque, in Honore, Virtuteq; superat barbararum gentium monstra, ad

Orbis

Orbis Christiani defendendam, protegendamq; salutem, Serenissimi, ac Inuictissimi Regis Poloniæ IOANNIS CLYPEVS, ad cujus eleuationem, cùm omnia Illustrissimarum sub cœlo Poloniæ Familiarum mouerentur, & sequerentur insignia, & Tuam quemadmodum amori, ità lateri Regio propinquius sequebatur Labarum, gloriosissimis coronate Victorijs, Illustrissime VLADISLAE Donhoff Palatine Pomeraniæ. Excedit hic omnem prædicandi facultatem sanguine illustrissimo Tua consecrata Victoria, quam felicitati, salutiq; Christianitatis addidisti, nec mortalium facundiâ coli ambit, quam æternitas circumplexa in superum suscepit Capitolio coronandam. Solidos ad Victoriam Tibi gradus in suis substrauit exemplis Illustrissimus Genitor Tuus GERARDVS Donhoff Palatinus Pomeraniæ. Dum enim ADOLPHVS GVSTAVVS Sueciæ Rex totam Prussiam suæ potestati, quâ armorum violentia, quâ præstigiosa pollicitationum fraude, subijcere summis conatibus attentaret, ac vniuersam propè iam occuparet, quæ studia, quæ consilia, qui labores fuerunt, ne ditiones vicinas grauibus armis opprimeret; verùm cùm raro exemplo successus rerum illius felicitarentur, arcta obsidione incinxit Torunium, ad cujus vastitatem animos, & potentiam intendens, expertus est quid in rebus audius GERARDI posset inuicta Virtus, cuius auctoramentis ejus rejecta contemptaq; potentia Sueticis exercitibus confusionem, Torunensibus eliberationem, fortunarumq; conseruationem attulit. Remunerabatur eam Victricem Regum fidelitatem in Torunij propugnatione expertam Serenissimus Rex IOANNES CASIMIRVS, cùm post decessum ad otium vitæ melioris Illustrissimi GASPARIS Donhoff Palatini Siradiensis; Reginalis Aulæ Serenissimæ Reginæ, Coronæ throniq; Consortis, LVDOVICÆ MARIÆ GONZAGÆ Præfectum constituit. Hæc Tibi Victoriæ exempla stimulos acriores dederunt, Illustrissime VLADISLAE Donhoff, ad audenda in omni acie, quæcunq; sors, hostis, aut fortunæ violenter obtruderet, facinora; reflexisti animum ad illam antecessorum Donhoffiorũ magnanimitatẽ, quâ rebelles Poloniæ ingẽtiaq; damna inferentes Liuonibus Crucigeros, vsq; ad Victoriã profligabant. Quotquot Serenissimi Poloniæ Regis IOANNIS CASIMIRI numerantur de Kosacis, Tartaris, ac Moschis Victoriæ, te in memoria hominum quemadmodum in laboribus, comitem, ita in triumphalibus consortem recognoscant honoribus. Magna fuisti pars Chotimensis illius Victoriæ,

ctoriæ, de Thracibus reportatæ, quæ, vtpote recentis rudimentum, cùm Te acribus armis & animis decertantem stupuit, ad majorem hanc cui parem secuturæ fortasse vix darepossent ætates, Victoriæ gloriam seruauit. Pretiosior est illa & ornatior, quam non tantùm sudore vt in Chotimi noualibus, verùm liberali sanguine decorasti.

Habet & alias inuicta Virtus Arenas, & Palæstras, Acies, & Olympia, in quibus Victoriæ comparantur. Certè generalia Regni, particularia terrarum, ac Palatinatuum Comitia, spatiosum decertandi, vincendiq; Illustrissimo VLADISLAO Donhoff Palatino Pomeraniæ explicabant campum, in quo tot rationum, ac animorum dissidentium pugnæ, grauiorem armis, nonnunquam in ordinibus, ac Regno stragem, boniq publici cladem intulerunt, dum priuatorum amor, & cura, commodorum, publicam Reipublicæ salutem, integritatemq; rerum, infirmat, ac labefactat. Ille hic euadit Victoriâ nobiliore coronatus, qui publica priuatis anteponens, generosa mente, inuicto Zelo, matura prudentiâ, rara dexteritate, eò rerum momentà promouet, ac moderatur, vt boni Communis integritas, aut collapsa erigatur, aut nutans stabiliatur. Et hîc tuas Illustrissime VLADISLAE Donhoft Palatine Pomeraniæ molitus Victorias, palmam reportasti, dum Ciuis optimi, Patriæq; amantissimi partes explendo, tum in particularibus Prussiæ, tum in generalibus Regni Comitijs assiduus, malignorum consiliorum incentores, fraudum ad Reipublicæ damna architectos, Æquitatis, & pacis osores, authoritatis, ac prudentiæ prærogatiua opprimens, candida sinceritate, Regij throni, Nominisq; reuerentiam, Patriæ securitatem, Regiæq; Majestatis cultum promouebas. Summæ potestatis, quæ in Patria est, publicæq; pacis inuida, armis aureis in alios eminus, cominusq; pugnabat, & expugnabat factio, ad Te, innatâ Illustrissimæ Domui Donhoffiæ rectitudine animi, infractum ac intractabilem, Fidelitate erga Serenissimas Majestates nemini parem, & veluti adamante duratum, longéque ab omni simulati animi fuco doloque positum, pertingere non præsumpsit. Pulcherrima illa Victoria, hîc vicisse, vbi tot Patriæ potestatis impatientes è summo virtutis, ac fidelitatis culmine, prægrauante peregrino ære, dejecti, tam procliui, abjectoq; ad aureas, argenteasq; quisquilias, animo, pudendam magnis Nominibus, & Domibus, labem adspersêre. Gloriosissima Victoriâ cujus meritum solum liberalibus præmijs, cælum poterit rependere, hîc vicisse, vbi tot Procerum Patriæ, externo-

rumq;

rumq; Principum laborabant ſtudia, vt propendentem Sereniſsimæ Majeſtatis, ad Armorum cum Auſtriaca Domo conjunctionem, animum, aliorumq; legitimè ac ſanctè conſpirantium reuocarent, aut deterrerent, ex qua tanta Sereniſsimo ac Inuictiſsimo Regi IOANNI III. ac Polonæ Genti parta gloria, Chriſtianitati ſecuritas, tot populorum Libertas, Vrbium violento raptu vſurpatarum vindicatio, Viennæ, Sedis Imperatoriæ Liberatio, Fidei ſplendor, Eccleſiæ vniuerſali Decus; Imperij Turcarum humiliatio, tot tyrannorum Chriſtianitatis vaſtitati totis viribus incumbentium ingens clades, Regibus, Principibus, ac Heroibus Chriſtianis Felicitas, & Victoriæ, conſecutæ, tantum nunc Armorum Animorumq; conjunctionis neceſsitatem fuiſſe luculentis argumentis demonſtrant, quantam ex ejusdem neglectu, aut contemptu, Chriſtiano orbi euenire potuiſſe ſupremam, nec vnquam deplorandam pernitiem fas eſt coniectari. Non nudum calculum, aut ſolo numero æſtimandum adiecisti votum ad rei tantæ momentum; addebas rationum pondera, vt inclinares; hinc emergentem, prudentiæ præſago oculo penetratam recte facti gloriam, oſtendiſti, vt in obliquum tracta conſilia, ad juſtitiæ regulam deflecteres; diluiſti obiectas difficultates, vt metus præſumptionem tolleres; improbaſti allegantium cauſas, vt ad tantæ, quæ ſubſecuta eſt gloriæ ſummam, remotis impedimentis iter complanares. Infernorum credo auctoramentis, illa cudebantur conſilia, quæ Chriſtianorum coniunctionem armorum aut impediebant, aut contemnebant, vt Orientis armis, ſubuerſis Templis, ac Aris, eliminatis Catholicæ Religionis ritibus, principes tenebrarum de Luce Fidei triumpharent. Quis negabit in Te, qui ad Sereniſsimi Regis obſequia præſto, Regium ſemper latus ſtipabas, & ità muniebas, vt non niſi per tuum latus Regia peti poſſet Maieſtas, Regium quoq; in Te habitaſſe animum, qui in Te Regia apud alios Vota, ac deſideria promoueret. Collegiſti Hæreſis Victor manubias, ac triumphaſti, cùm nondum amplexus Fidem, ea pro Fide Catholica geſiſti ſtrenuè, quæ Catholiciſsimum, ac Zeloſiſsimum Fidei Catholicæ aſſertorem decerent. Ex hac glorioſiſsima Tui ipſius Victoria, quâ contemptis, ac eiuratis dogmatibus, & erroribus Hæreſim triumphaſti, ſecretum circa Te in Diuinitatis arcano conſilium æſtimare. Illas Heroicas Virtutes Fortitudinem, in Pauperes, ac Religioſos profuſam beneficentiam, Charitatem quâ omnibus affabilis, omnibus amabilis, inferioris quoq; conditionis homines

 com-

complexus, dilectione proximi, ad Dilectionem DEI Te disponebas, subsequentis gratiæ fœcundam sementem fuisse, quæ Te ad Fidei lumen initiabat. Meruisti, aut potius ad Theologicæ disciplinæ crisim, amusimq; dicam: congruum fuit, vt Te singulari dono in Filios Lucis per Fidem Diuina adoptaret Clementia, qui Fidei operibus arduis, & Virtutibus Heroicis vocationem ad Fidem anteuertisti. Sic Tui, Hæresisq; Victoriam, Victoriâ contra hostes Fidei coronasti. Quis Tibi augustior decerni triumphus potuit, quam inter Victorem purpurati, Martyrosq; coronati populi exercitum, cuius numerum, cum tot Herоib⁹, qui superno dignas imperio proprio sanguine trabeas tinxerũt impleuisti. Si enim Martyrē non sola mors, sed mortis causa facit; non improbanda præsumptione, audenter pronuntiabo, Te Heros inuictissime inuidenda, (si tamen hæc passio in animos immortales Tibi triumphos gratulantes cadere potest) felicitate, in Cœlis laureatum inter Victores Exercitus triumphare, qui pro DEO, Fide, Ecclesia, totiusq; Christianitatis bono, Victima proprio consecrata sanguine occubuisti. Nuntiatum fuit Xenophonti Philosopho ad Aram sacrificanti, maiorem natu filium in acie cecidisse, coronam tantùm deposuit; cumq; percontanti quomodo occubuisset relatum esset, fortissimè pugnantem cecidisse, depositam capiti Coronam reposuit, Numina testatus se maiorem ex Filij virtute lœtitiam, quàm ex morte mœrorem accepisse. Incedit Honorum, ac Victoriarum infulis coronata Illustrissima Donhoffia Domus, neq; ad luctum composita, coronas ad nuntium Mortis Illustrissimi VLADISLAI Donhoff Palatini Pomeraniæ, deponit, quæ illum Victorijs coronatum gratulatur. Hinc Illustrissima Domus Victori, cum ereptis Orientis exercitui manubijs procedenti, aperit

CAPITOLIVM.

Assurge gloriosissimæ incumbens Victoriæ,
Victor Inuicte
VLADISLAE DONHOFF
Palatine Pomeraniæ!
Et huius capacitatem Atrij
Amplitudine Trophæorum imple,
Quæ Capitis, Sanguinisq; pretio comparasti.

Cogna-

Cognatum Tibi est Illustrissimæ Domui Tuæ

Capitolium,

Quod Maiorum Tuorum Virtutibus impletum,
Tuorum viuus meritorum adjectu cumulasti.
Nec vanè affictam Illustrissimæ Domui appellationem puta.
Si Capitolium ab inuento humano capite, dum templi fundamenta ponerentur sortitur nomen;
Cognominem illi Illustrissimam Domum fatebitur,
Qui in Gentilis APRI CAPITE, à Rege Hispaniæ,
Aragoniæ, Portugalliæ, & Castiliæ
In Insigne, ac soliorum ornamentum assumpto
Illustrissimam Donhoffiam Domum
Fundatam cognoscit.
Sacrum Pantheon est,
In quo plures Virtutum ac Heroicorum facinorum Ideæ,
Quam facinorosorum Numinum in Romano Capitolio Idola.
Hic Tibi perennem fama decreuit honorem,
Vbi ad inuidiam Capitolini templi, Imaginibus, ac operibus magnificis exornati,
Inuictæ Fortitudinis, & Victoriæ opera, trophæa, & exempla non ficta, aut picta, sed facta collocasti.
Institutos solennes Ludos, obseruatum Iouis Capitolium, decretos
Superant Tuæ in Martis, an Mortis Ludo Victoriæ,
Quâ insolentibus ac insultantibus illudens hostibus,
Ad æuiternam Tuam Tuæq; Domui gloriam prolusisti.
Vix vnquam Mors, & Mars, sine luctibus,
Hic cum triumpho,
Qui Victrici, triumphaliq; Pæane resonans,
In Illustrissima Domo
Nec conducit Præficas, nec admittit.
Securus gloriæ
Immortalitatem in tuto collocans
Non habet periculum quod fortuna reuoluat in Caput,
Quod hostis abstulit,
Qui coaceruans Capita, acephalum sine consilijs credidit exercitum;
Verùm tanti Herois relicta Victoriarum exempla,
Vincendi superauere consilia.
Ergo
In hòc Capitolio non Ioui, aut Marti, Bellonæq;,
Sed Exercituum Domino sacra persolue,
Viues hîc in gloria,
Quem Medæâ melior, veriùs quàm Æsones, thaumaturga virtute,
Mortuum, vt æternum viuat
Suscitabit Historia.

VIrtus augusta Gloriæ Mater, quæ Illustrissimam Donhoffiam Domum, vtpote amplissimum Capitolium, trophæis impleuit, tam pulchram sobolem æternùm victuram in Illustrissimis Nepotibus per ætatum lapsus transmittit. Neq; enim vllum tam proiectæ in ignauiam mentis, partæ tantummodo à Maioribus famæ incumbentem successorem habet, quem non

Fax mentis honestæ

Gloria

non tantùm ad conseruandam, verùm illustrioribus virtutum facinoribus augendam recte factorum æstimationem non vrgeat. Amplissimum illi Hispaniæ, Aragoniæ, Portugalliæ, Castiliæq; Regna concessere campum, quæ ad Franconiæ, quoq; occupandas Ducales Mitras sese exonerans, per summa in Liuonia dignitatum subsellia, bellicæque fortitudinis merita, ad Serenissimi Poloniæ Regis SIGISMVNDI AVGVSTI fauores, ac intimos amores ascendit. Suspiciebat, Donhoffiana merita æquis Priuilegijs Legibusq; cum Lithuania sibi contermina, munita Liuonia, in sui per illorum studia, Zelumq;, ad Christianæ Fidei lucem, è tenebris paganismi reducta, quam licet infensis armis premerent, arctarentq; Suecorum exercitus, virtuti Donhoffiæ, gloriæq; metas definire non potuerunt, quæ amplitudine sua Regna, & Prouincias impleuit. Excepit illam varijs Virtutum trophæis illustrem in gremium Polonia, venerataq; in Donhoffijs constantiam, quâ, etiam relictis in Liuonia amplissimis possessionibus, fortunisq;, iniquis vsurpatoribus Prouinciæ adhærere prohibebantur, liberalissimis Diplomatibus ornauit, vt cùm solis in Polonia, Lithuania, Prussiaq; Indigenis ad capessendos dignitatum, Honorumq; Fasces est facultas, DONHOFFIÆ Virtutis merito id concessum à Republica, ac Serenissimis Poloniæ Regibus, vt quâ latè suis Polonia, Lithuania, Prussiaq; finibus protēditur, Donhoffiæ Virtuti capessendis, per indultas Libertates, Priuilegia, ac Prærogatiuas, Dignitatibus, ac Honoribus theatrum pateret. Æquis virtutum passibus in persequenda Heroicis Virtutibus gloria, Maiores consectantur Illustrissimi Successores, quotquot à Serenissimo Poloniæ Rege SIGISMVNDO III. ad nunc felicissimè regnantem Orthodoxum, Turcarum Victorem, Terrorem Orientis Serenissimum Poloniæ Regem IOANNEM III. descendunt. Cumulârunt huius Gloriæ ornamenta, cum Illustrissimis, & principibus in Prussia, Lithuania, Poloniaq; Familijs, cognationes, per Matri-

monia-

monialia fœdera contractæ in Illustrisſimo STANISLAO Donhoff Vielunenſi & Radomſcienſi Præfecto, qui cum Illustrisſima ANNA Ducissa Radiuilia, ALEXANDRI Ducis Radiuilij Mareſchalci M. D. L. Filia, ad Donhoffiæ Domûs ſplendorem Ducales Mitras, Regales, Aquilas, æternæq; gloriæ per orbem decantandæ Tubas induxit. Adauxit Illustrisſimæ Domûs Decora Illustrisſimus ERNESTVS Donhoff Caſtellanus Vilnenſis Exercitûs Germanici in Polonia Generalis, in Illustrisſima Conſorte ZOFIA, ex Illustrisſima Ducissa Czartoryska genita, vltima Oleſniciorum Familiæ Herede, Eminentisſimi ZBIGNEI Oleſnicki S. R. E. Cardinalis, Cœnobij Noſtri in Pinczow Fundatoris Nepte, cum qua æternam ſpirantes gloriæ famam, Gentiles ROSAS, Ducalis inuexit EQVES. Adjecit ad pleniorem Domus Donhoffiæ Gloriam Honorum acceſsiones Illustrisſimus, ac Reuerendisſimus ALEXANDER Donhoff Abbas Andreouienſis, in quo regiam Donhoffiorum Sereniſsimus Poloniæ Rex SIGISMVNDVS III. veneratus indolem, & ſanguinem, leuando è ſacro Baptiſmatis latice, Regias, quibus Polonum Orbem ſuſtentabat, ſubiecit manus, tanquam ad conſummandæ Donhoffianæ gloriæ augem id vnum deſiderari videretur, vt Regum, Principumque Sanguis, qui in ſolijs ſub Regum Coronis, Principumq; Ducalibus Mitris natus, adoleuerat, in Heredibus dignus fuerit in Regum gremijs, manibus, & amoribus reclinari. Intendit gloriam Honoribus aut contemptis, aut aſſumptis. Oblatam ab INNOCENTIO P.M. *Clerocatûs Cameræ* dignitatem; decretas Epiſcopatûs Kamenecenſis, & Luceorienſis Infulas, & Regni Secretariatum, heroica recuſauit humilitate. Legatione à Sereniſsimo Rege CASIMIRO, ad FERDINANDVM III. Romanorum Imperatorem defunctus, ſummam apud exteros prudentiæ laudem promeritus, Fundationibus varijs, ac in Religioſos, egenosq; profusâ liberalitate, æternam, nec temporum, inuidiæq; iniurijs obnoxiam ſolers immortalitatis Candidatus, gloriam aucupabat. Ità non tantùm in Secularis dignitatis, Senatu, ſed in Eccleſiaſticæ eminentiæ ſubſellio, ad promouendam gloriam Illustrisſimæ Donhoffiæ Domûs ſtudia adlaborant. Explicaſti hanc ob orbis Poloni oculos emeritæ Virtutis gloriam, Illustrisſime ac Reuerendisſime GEORGI ALBRACHTE Donhoff, Abbas Vitouienſis, Canonice Cracouienſis, Præpoſite Petricouienſis, in vtraq; Republica; ad cuius emolumenta, ac ornamenta vt Te rectè formaret eruditio, poſt nauatam

 diſci-

disciplinis mitioribus in Collegio Rauensi Soc. IESV, operam, in Vrbe mundi Principe Roma consumato Cursûs Theologici summa cum laude studio, acerrimi, ac limatissimi ingenij cui nihil in arcanis Theologiæ arduum fuit, nihil imperuium dotibus ostendisti, Illustrissimam Donhoffiam Domum, & ex Martis, & Scientiarum, campo lectorum trophæorum, capacem ac laurearum. Publico Ecclesiæ Patriæq; bono fatis melioribus decretum Te Illustrium Virorum ad Sacerdotij dignitatem initiarunt obsequia. Amauit in Te animum Ecclesiæ deditissimum Illustrissimus ac Reuerendissimus FLORIANVS CASIMIRVS Dux in Klewan Czartoryski, tunc Episcopus Vladislauiensis, post Regni Primas, Primusq; Princeps, & Minoribus initiauit Ordinibus; gratulabatur Ecclesiæ profuturam Tuam indolem Illustrissimus ac Reuerendissimus ANDREAS Olszowski Episcopus Culmensis, post Regni Primas primusq; Princeps, qui Te Subdiaconos inter adoptauit; Suspiciebat maturam, curarumq; pro Ecclesiæ bono, grauium capacem industriam, Illustrissimus ac Reuerendissimus CHRISTOPHORVS Zegocki Episcopus Chełmensis, qui Diaconatum contulit; Coluit in Te Virtutes absolutas, quas Ecclesiasticum statum ornaturas exemplis illustrioribus, præuidit, Illustrissimus, ac Reuerendissimus STEPHANVS Wierzbowski Episcopus Posnaniensis, qui Te ad Sacerdotium Regale Sacro perunxit ceromate. Illustrasti Serenissimi Poloniæ Regis MICHAELIS I. eximijs virtutibus Aulam, vbi temperatissimis moribus, modestiæ, ac affabilitatis gratiâ, ad Tui obseruantiam coëgisti; vtque formandis, & informandis virtutibus Clerus Posnaniensis haberet, Te veluti Regulam, normamq; vitæ Ecclesiasticæ, in sublimiori collocauit subsellio Wierzbouius, Canonicum Posnaniensem, mox & Custodem illius Cathedræ creando. Prælatum Te non putabas, nisi magnis passibus, & exemplis, virtutum, omnibus anteires, & in iuuentute, senile cor gerens, & animum, ea proponeres Ecclesiasticæ perfectionis insignia, quæ & veteranos in dignitatis, & virtutis fastigio sublimatos, ad imitationem prouocarent. Quid inde mirum, quòd Te Illustrissimus ac Reuerendissimus ANDREAS Olszowski, à Serenissimo Orthodoxo Poloniæ Rege IOANNE III. Archiepiscopalibus Infulis admotus, Aulæ suæ, laterisq; socium, dulcissimum conuersationis solatium, & exemplum expetebat? Adhæsisti lateri Pontificis, qui modestiam ac Temperantiam, quam in Te coluit, non erubuit imitari. Laudauit coram Serenissimis Maiestatibus, Virisq;

risq;

risq; Principibus maturam prudentiam, ac judicium ad grauiora discernenda, decernendaq; negotia sublime; commendauit rerum experientiam, Legumq; scientiam, summâ continuaq; librorum, Iurium Ecclesiasticorum, ac Historiarum lectione, ac euolutione comparatam, admirabatur ingentes animos, ad audenda quæque, aggrediendaq; pro Ecclesia Patriaq; ardua momenta. Probauit in frequentioribus Concionibus non nudam, verborumq; phaleris tantùm speciosam, sed honoris Diuini, proximorumq; salutis, animatam Zelo facundiam; tantas dotes, Virtutesque, vt in Te coronarent Serenissimi Regis IOANNIS III. affectus, Abbatiæ Vitouiensis infulam contulerunt. Expetebant Principalis in Polonia Cathedræ Cracouiensis Vota, Tuam ad Cracouiensem Canonicatum institutionem; quapropter Ecclesiæ, communisq; boni prouidus Illustrissimus ac Reuerendissimus ANDREAS Trzebicki Episcopus Cracouiensis, Dux Seueriæ, Te in Collegium Canonicorum Cathedralis Cracouiensis Ecclesiæ cooptauit, vt illis ad imitationem Virtutum exemplis Princeps non priuaretur Cathedra, quibus inferiora aliarum dignitatum subsellia decorasti. Rependisti Illustrissimo Principi honoris collati gratiam, cùm è suggestu amplissimas illius Pontificales Virtutes, & magna erga Ecclesiam, Patriamq; merita, pari tanti Principis honoribus, eloquentiæ apparatu, sacratior Poloniæ Demosthenes, in Funebralis pompæ frequentia dilaudasti. Gallicum credebant è cineribus expergefactum Herculem, cùm veluti torquibus vincti, toto vulto, ac animo à Te pendebant. Iterum, atq; iterum, tum ex Posnaniensi, tum ex Cracouiensi Capitulo, ad Regni Tribunal Deputatus Iudex, quâ laude, quâ æquitatis lance, grauiora causarum momenta ponderabas, ipsa negotiorum eò deuolutorum, mille, & mille difficultatibus intricata moles, Tuo expedita judicio testatur. Audendis, agendisq; rebus arduis cùm perspectam habuisset magnanimitatem Tuã Serenissimus Poloniæ Rex Orthodoxus IOANNES III. ad promouenda Reipublicæ, Patriæq; negotia, ad terrestria Siradiæ Comitia bis Ablegatum misit. Ad Generalem Prussiæ Conuentum Margieburgum, expeditus, eâ dexteritate, maturitate, prudentia, Serenissimi Regis, Patriæq; voto, res ad fortunatos exitus deduxisti, quam rei, Regniq; necessitas exigebat. Discet, noscetque posteritas, illam Donhoffiæ Domûs gloriam, ad quam Te Virtutum Tuarum Comitia suffragijs promouent, in altioribus Honorum, ac Dignitatum subsellijs collocandum. Huc ad vberio-

rem gloriæ adoream protendit labores & ſtudia ſua Illuſtriſſimus, ac Reuerendiſsimus IOANNES CASIMIRVS Donhoff, *Mogilenſis* Abbas, in quo honorata Donhoffiana elucet prudentia, quòd illum ad Sanctiſsimum D. N. INNOCENTIVM XI. Legatum miſerit Sereniſsimus Poloniæ Orthodoxus Rex IOANNES III. vt ſuo nomine cæſis ad Viennam, ſummâ Victoria Turcarum Caſtris, ereptum, in teſtimonium, quòd pro DEO pugnaret, & Eccleſia, triumphale Vexillum præſentaret.

Et ex Oſſolinia Illuſtriſsima Domo Donhoffianæ Gloriæ Templum exornant ASCIÆ, per Illuſtriſsimum SIGISMVNDVM Donhoff Bydgoſtenſem Sokalenſem, Boleslauienſem, Boguslauienſem, Laiſcenſem Capitaneum, inductæ, dum ſibi Illuſtriſsimam TERESSIAM ANNAM Comitiſſam in Tenczyn Oſſoliniam, Magni illius GEORGII Comitis in Tenczyn Oſſolinij, quem, à Sereniſsimo Poloniæ Rege VLADISLAO, Ablegatum, vt Vaſſembergius in Floro Germanico teſtatur: *Anglia ſuſpexit, Roma admirata eſt Venetiæ laudauerunt, Germania venerabatur,* Filiam ſacro Matrimoniali fœdere copulauit. Huc coëunt Illuſtriſsimi Genitoris illius ornamenta, & Gloriæ decora quæ viuunt, viuentq; in ſeræ poſteritatis memoria. Fulget Ebeno argenta Altaris moles in Mariana Clari Montis Częſtochouienſis Baſilica, quam Oſſolinia ſtruxit, poliuitq; ASCIA. Pietatis, & Eruditionis Palæſtra, Collegium Soc. IESV Bydgoſcij erectum hæc Magni Cancellarij Regni ædificarunt Arma, his & Regia Klimuntouienſis Baſilica ſuam debet originem. Magna hæc Armamenta gloriæ ſecum in Donhoffiam intulit Domum Illuſtriſsima TERESSIA ANNA Comitiſſa in Tenczyn Oſſolinia, ad cuius quoq; ſublimiora pertinet ornamenta Mater Illuſtriſsima ISABELLA Daniłouicia, Illuſtriſsimæ, ac feliciſsimæ illius Lacænarum Matrum, TERESSIÆ Daniłouiciæ, Sereniſsimi Poloniæ Regis Orthodoxi IOANNIS III. Matris, Patruælis auguſta Soror. Traxit ad Illuſtriſsimæ ornamenta proſapiæ aliarum Familiarum claritudinem, Illuſtriſsimi GASPARIS Donhoff Palatini Siradienſis, ex Illuſtriſsima ALEXANDRA Koniecpolska progenita, Tua Illuſtriſsime SIGISMVNDE Donhoff Bydgoſtenſis, Sokalenſis, Boleslauienſis, Boguslauienſis, Laiſcenſis Capitanee Germana Soror ANNA, Illuſtriſsimo BOHVSLAO Leſczynski Theſaurario primùm, Vicecancellario deinde Regni in Matrimonium elocata, fecunda Illuſtriſsimorum Virorum BOGVSLAI

Leſczyn-

Lesczynski Abbatis in Czerwiensko, RAPHAELIS Lesczynski Regni Vexilliferi, & Magnarum Virtutum Heroinæ ALEXANDRÆ Grzymułtouiæ, moderni Palatini Posnaniensis Consortis, jam visâ functæ Mater, fecitque tam splendidis iuncta, Magnisq; Familijs, vt frustra quisquam ultra de Donhoffiorum quærat Maioribus, qui se per cognationes Illustrissimis insinuando Domibus, Maximis æquauerunt. Viuit superstes Tuæ generosæ mentis spiritu Illustrissima proles Tua, Illustrissimus FRANCISCVS BOGVSLAVS Donhoff Ensifer Lanciciensis, qui in Aula Serenissimi Regis Poloniæ CASIMIRI Regijs moribus est innutritus, & amoribus, quos vt obsequijs Serenissimo Regi rependeret, post Abdicationem Regni Comes illius in Gallias, Parisijs vsq; ad Principis mortem illibatæ fidelitatis, & gratitudinis dans exemplum, perdurauit. Atq; vt redux in Nepotibus in seram posteritatem Donhoffiam propaginem transfunderet, HEDVIGEM Lipska, Capitanei Rauensis, genitam ex Lanckoronia Filiam, primo Voto duxit; quâ Virtutibus vitaq; functâ, ad secundas assumpsit Nuptias EVPHROSINAM Miecielska, Capitanei Kolensis Filiam, vnius, Magnarum expectationum, heredis, Filij Nicolai Parens, vel in Filio Germani Fratris immaturo decedentis fato STANISLAI CASIMIRI, Illustrissimæ Domui facta dispendia compensaturus. Seruiuit ampliandæ Donhoffianæ Gloriæ Illustrissimus THEODORVS Donhoff Regni Succamerarius, cuius manibus non ita pridem Illustrissima Domus parentauit. Nec tamen totus decessisse creditur, qui in Filijs tum IOANNE CASIMIRO Donhoff Abbate Mogilensi, tum in FRANCISCO Donhoff Capitaneo Vislicensi perennat. Non otiosum se ille Maiorum gloriæ possessorem ostendit; ad cuius augmenta, cum Serenissimo Poloniæ Rege IOANNE III. in Castris ad Viennam contra effusam Orientis colluuiem strenuè decertauit. Accesserunt per fœdera Connubialia, ampliora Donhoffiæ Domûs Ornamenta, cùm eiusdem Capitanei Vislicensis Sorores, vna Illustrissimo Lubomirscio Regni Mareschalco; altera Illustrissimo Katski Castellano Leopoliensi, in Matrimonium sunt elocatæ. Nec Tuam in hac Domo Illustrissima obliterabit memoriam edax tempus, aut obliuio Illustrissimè CHRISTOPHORE Donhoff Castellane Vitepscensis, qui rectè factorum gloriam adijcis; nec Tua ruinam sepulchralem laus passa est Illustrissime IOANNES Donhoff Capitanee Starogardens, qui vt post fata super-

ſtes viueres, vitam meliorem in virtutum meritis quæſiui-ſti. Latere non poſſunt Polonum Orbem, vicinasq; Prouincias, quæ in gremio Clari Montis explicantur Donhoffiæ gloriæ Decora, in ampliſsimo regijs ſumptibus erecto ex Marmore ſacello, quod Magnificentia ſua toti Claromontanæ Baſilicæ maieſtatem auget. Hîc Donhoffiæ Liberalitatis, & animi erga Sacra, propenſiſsimi patet amphitheatrum, in quo ad DEI, Diuorumq; cultum ampliandum, ad animarum in pœnalibus clauſtris detentarum ſuffragia, ad ornatum ſolennem Baſilicæ Marianæ, auro argentoq; intertexta, quæ ſæpius attonitos, aliarum nationum Principes, Donhoffianam in ſacrorum cultum profuſam liberalitatem admirantes, tenebant, aulæa, magnanimitatem ac Religionem teſtantur. Ex eiusdem animi, loco Sacro dedictiſsimi, liberalitate, fulminatricibus æneis machinis, ſeu tormentis, aucta Mariana Clari Montis Armamentaria, palam oſtendunt Donhoffiam Domum Illuſtriſsimam tum ad Ornamentum, tum ad munimentum Claromontanæ Marianæ Arcis adlaboraſſe.

Reuocas ad Tui memoriam, honoremq; vectigalem pennam Illuſtriſsime VLADISLAE Donhoff Palatine Pomeraniæ. Signaſti ſanguine arduis pactam certaminibus gloriam, quam antehac ex Maioribus acceptam Virtutibus cumulaſti. An non illuſtres ex familiarum cognationibus explicat memorias, gloriamq; reuelat Illuſtriſsimus Genitor Tuus GERHARDVS Donhoff Palatinus Pomeraniæ? Inuexit Illuſtriſsimæ Donhoffianæ Domui OPALENIAM plenam dignitatum faſcibus, Honorum Infulis, meritorum prouentibus ONERARIAM cum Illuſtriſſima Opalenia conſorte, Illuſtriſsimorum, Palatini Breſtenſis, Epiſcopi Culmenſis, & Palatini Lancicienſis, Patris germanam Sororem, ex qua Filias, CONSTANTIAM Illuſtriſsimo Palatino Culmenſi, poſt Illuſtriſsimo IGNATIO Bąkowski Palatino Marieburgenſi nuptam, & CÆCILIAM, Illuſtriſsimo Comiti VAIER, Palatino Margeburgenſi elocatam, ſuſcepit. Et Ducales Ducum Bregenſium Mitræ ad ornamenta cumulantur, in SIBILLA, Filia GEORGII FRIDERICI Ducis Bregenſis, cuius Mater, Illuſtriſsimi IOACHIMI Ducis Brandeburgenſis in Pruſsia, Filia, recenſetur. Ad ſummas olim in Poloniæ Regno poteſtates ſuam referunt Duces Bregenſes originem, qui lineâ rectâ à PIASTO Primo Poloniæ Principe, ex quo tot Sereniſsimi Reges Poloniæ, vſq; ad CASIMIRVM numerantur, deſcendunt ſuum gloriæ, honoriſq; transfert

patrimo-

patrimonium & illa Inclytiſsima, ac Sanctiſsima Piaſtis, Bregenſis, & Legnicenſis Duciſſa HEDVIGIS Princeps Poloniæ. Ab his Sanctorum, Regum Principumque cunabulis Diuinum Numen, Fortunaq; dederunt Matrem Illuſtriſsimo VLADISLAO Donhoff Palatino Pomeraniæ, qui per Duces Principesq; ad ſe deuolutam gloriæ hereditatem, ſuæ Virtutis prouentibus cumulauit. Quæ ab illuſtriſsimis Parentibus accepit decora, auxit ſplendidiſsimis Matrimonij fœderibus, in vitæ Conſortium aſſumptâ CONSTANTIA Słuſzczanka, Illuſtriſsimi BOGVSLAI Słuzka Theſaurarij M. D. L. Filia, Illuſtriſsimi IOSEPHI Słuzka Mareſchalci Curiæ M. D. L. & Illuſtriſſimi DOMINICI Słuzka Capitanei Rzeczycenſis Sorore, cuius Illuſtriſsima Parens ANNA Potocka, primùm Kazanouio in Matrimonium elocata, Illuſtriſsimi STANISLAI in Iabłonow Iabłonowski Terrarum Ruſsiæ Palatini, Generalis Exercituum Regni Ducis, Illuſtriſsimam Conſortem MARIAM ANNAM genuit; poſt ad ſecundas ab Illuſtriſsimo Theſaurario M. D. L. Nuptias expetita, parem Illuſtriſsimæ Donhoffiæ Domui Heroinam edidit, generis claritudinem, quam à MARIA Mohilanka Valachiæ Duciſsa, Illuſtriſsimis Ducibus Viſniowiecijs, ac Radiuilijs per ſanguinis colligationem fœderata deriuat, in Filiam, vt Honoris vberrimum patrimonium transferendo. Reflectit ad illam ſplendorem proſapiæ & Illuſtriſsimus Palatinus Kijouiæ Stanisławſcius, qui Illuſtriſsimam Heroinã ANNAM Potocka tertio voto ſibi copulans, ornamenta in plenam Honoribus Domum inferens, maiorem Virtutis, & Gloriæ cognatis ſibi Familijs æſtimationem comparauit. Tot inter Illuſtriſsimarum Familiarum, quæ Te circumſtant, ornamenta, illuſtrior ac ornatior effulges, in pleno gloriæ meridie, quem Tibi peperit Oriens Illuſtriſsime VLADISLAE Donhoff Palatine Pomeraniæ. Non eges fumoſis Maiorum Imaginibus, ad oſtentationem Gloriæ, quæ cum ad mundi lucet oculum, facilè vmbras patitur, & tenebris mortalitatis inuoluta interit. At Te Heros Illuſtriſsime, ac Inuictiſsime, VLADISLAE Donhoff Palatine Pomeraniæ, cum Immortalitatis, beatæ gremium excipit, & Solium, fruere æternis Fortitudinis Tuæ muneribus, & virtutum fructibus; non Te ſepulchralis ruina, lapisque premit, quem generis celſitudo, ad æternæ felicitatis faſtigium, nulli obnoxium inclementi fato, ſublimauit. Viue vitam, quæ nihil debet tempori, quam vitæ ſanguiniſque diſpendio comparâſti. Cum ergo linguis & animis, in

his parentalibus obſequijs, vniuerſi Tibi æternum VIVAT imprecantur, mandamus, & Famæ æternùm victura per orbem ferenda, Illuſtriſsimæ Donhoffiæ Domui debita, deditaque.

SYNTHEMATA.

Audi, & Aude Fama, Soror Victoriæ,
Donhoffiæ Ancilla Gloriæ
Obſequium exhibe, & Officium.
Triumphales Coronas aſſume, non lugubres virtas,
Nam hic actus ferales non admittit Cupreſſos,
Qui palmis ſtipatur, & Laureis.
Vt poſteritatis implendo Liuori Solentium indicas,
Buccinas emeritæ Victoriæ laudibus, & tubas imple.
Ne diſcrepes,
Ad Virtutum, Morum, & Honorum, harmoniam attende
Illuſtriſsimi & Excellentiſsimi Domini
D. VLADISLAI DONHOFF
Palatini Pomeraniæ,
Inclytiſsimi Herois, & Inuictiſsimi
Cui Vienenſes Cannæ cum dediſſent Victoriam,
Strigonienſes Victoriæ præmium æternos conceſſere triumphos
Hîc cecidit robuſtiſsimus Anteus,
Sed à lapſu terræq; attactu fortior
Meliore ſui parte adeo aſſurrexit ſublimis, vt ad cœlum pertigerit.
Ignauo plebis ingenio ſuus ſufficit angulus:
Cum Heroicæ Virtuti vix orbis, cœlum petit.
Alas tibi addit & talaria Virtus,
Cuius ferendo per orbem gloriam
Triumphalibus Victoriæ animata plauſibus,
Prohibe Leſſum, & Nænias.
Themata habes Laudum, & Synthemata
Eadem Illuſtriſſimo Heroi
Quæ in Martis campo, & in Mortis acie fuerunt.
In Syllæ, Brutiq; caſtris militares fuerunt teſſeræ, APOLLO;
In Cyri IVPITER BELLI SOCIVS & DVX,
Quaſi Apollini Iouiq; pugnaſſent,
Hic Illuſtriſsimæ Domui cognatum ſynthema ſonat

PRO DEO!

In Cæ-

In Cæſaris exercitu VENVS GENITRIX inuocabatur auxilium datura in acie, & conſilium, quæ Æneæ ſuo arma miniſtrauit, hîc melior Mater Chriſtianorum aſſeritur, & aſſumitur.

PRO FIDE!

Neroni inter armatorum cateruas, & pugnantium, OPTIMA MATER memorabatur,
Vt quæ in vitam fudit, aut Dea vitam ſeruauit,
Soſpitatem præſtaret & in acie,
Hîc Chriſtianorum Optima Mater, pro qua ſumebantur arma in teſſeram aſſumpta ſonabat:

PRO ECCLESIA!

Pompeius Magnus HERCVLEM INVICTVM Adſtitem, & Adiutorem,
Cuius honoris causâ cùm aſſumpſiſſet Nomen, & Virtutem in Martio campo optabat,
Hîc
Pro Sarmatiæ Hercule, bono totius Orbis Chriſtiani nato,
Sereniſsimo Poloniæ Orthodoxo Rege IOANNE III.
Honoris, & Securitatis causâ ſtipando, ac tuendo
Donhoffiæ cohortis, contra Turcarum caſtra pugnantis, perſonabat Teſſera:

PRO PRINCIPE!

Pompeij Iuuenis Militaribus copijs in teſſeram data PIETAS, Virtutem, Religionem, & Pietatem à caſtris excludi non debere docuit;
Hîc
Religini auctorata cum Illuſtriſsimo Duce, proprijs impendijs educta, & Religioni conſecrata phalanx,
Et inter horrida arma Pietatem, Virtutemq; colens
Religioni propugnandæ votum adijcit:

PRO RELIGIONE!

Inter Antonij arma domorum Præſes inuocabatur LAR DEVS,
Qui Domos patrias ſeruaret ab hoſtibus,
Et pro Domibus pugnantes adiuuaret;
Hîc
Amantiſsimus Patriæ Ciuis veluti ſi Patrias propugnaret res, & Honores animat bellatores ſynthemate.

PRO PATRIA!

Demetrius Poliorcetes IOVEM, & VICTORIAM
Pro Teſſera caſtris dedit,

Quaſi

Quaſi pro Iouis honore exoptaret Victoriam, & inuocaret;
Hîc
Intaminata Fides, & Religio culta
Cum Templa, & Aras habeat,
Ad illarum defenſionem animat:

PRO ARIS!

Pertinax, ne torpore ignauiæ, caderet animo, & corpore exercitus,
Animam, & Spiritum pugnaturis ingerebat: MILITEMVS;
Hic
Pro alienis excubando fortunis, & focis,
Et ſuis infeſtos profligando fortunis hoſtes,
Incitamenta militandi miniſtrantur

PRO FOCIS!

Seuerus Septimius, inſinuata hâc teſsera LABOREMVS,
A ſterili, quo tempus, & animi, corporisq; vigor abſumitur.
deterrebat otio;
Hîc,
Cùm Soror eſt Laboris gloria, vt ſpinæ roſa,
Ad Bellici Laboris præmium, & Honorem,
Apud Superos victurum, & poſteros
Vrgentur :

PRO GLORIA!

D. Cæſar FELICITATEM, quandoq; & VICTORIAM,
Dubiam belli aleam, ac ſtatum ancipitem,
Per arcanam tantorum Nominum, & Numinũ in caſtris inuocationem,
Ad felices & victorioſos ſucceſſus,
inclinabat;
Hîc
In acri contra orientis Titanas prælio,
Illam felicitatem, quæ æterna eſt, ſpectando,
Cùm cætera caduca, & infelicia ſint, quæ ad æternitatem
Virtus non exonerat,
Feliciſsimas Victorias æternitati conſecrando,
Hoc animo voluebat, volebantq; ſynthema :

PRO ÆTERNITATE!

Hæc foue, & faue Fama!
Illuſtriſsimus Heros, & feliciſsimus,
VLADISLAVS DONHOFF
Qui iam Deo, in Deo viuit,
Suos Tibi vt Viuas infudit Spiritus!

Tibi pennam in Tubam dabo,
Quæ in legentium oculis, quàm audientium auribus
Donhoffiam gloriam perenniùs victuram promouebit.
At Tu Illustrissime
VLADISLAE DONHOFF
Palatine Pomeraniæ,
Qui post inductam Ottomanicæ Lunæ caliginem,
Ex mortis vmbra, in lucem æternam emersisti,
Et in Claromontanæ Claritudinis meridie
Mortalitatis deponens exuuias,
Filium Lucis
Te demonstras,
Post horridæ mortis noctem
Æternitatis beatæ felix Diem viue,
Quem Tibi
Serenissimarum Poloniæ Maiestatum amores; Illustrissimorum ac Reuerendissimorum Principum, Archiepiscoporum, aliorum Pontificum, Prælatorumq; suffragia; Illustrissimorum Principum, Senatorum, Belli Imperatorum, Ducum, & Exercituum fauores; Coniugales Illustrissimæ Consortis ANNÆ Słuzczanka Palatinæ Pomeraniæ affectus; Illustrissimæ totius DONHOFFIÆ Domûs Heredum, ac Illustrissimarum cognationum vinculis colligatarum studia Familiarum; Omnium Ordinum, Amicorum, ac subditorum Vota; exoptant. Demum & nos quotquot parentalibus assistimus honoribus; idem omnes imprecamur,
Ex hoc Monte
Olim Tecum in Vallem Iosaphat
Descensuri.

